QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS CONCERTATIONIBVS EXAMINANDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE MERCVRII, II. IANVARII, MAGISTRO QVIRINO LE VIGNON DOCTORE MEDICO MODERATORE PRVDENTISSIMO.

Viuit-ne ſemen potentiâ tantum?

NATVRA αὐτοδίδακτος καὶ ἀπαίδευτος nullius doctoris aut diſciplinæ opem mendicat, omnibus omnia liberaliſſimè ſuppeditans nihil mutilum, nihil imperfectum, ſed vbique quod eſt melius operatur. Vt autem eſſe, quàm non eſſe, ſic æuo ſempiterno perfrui, quàm præfinitâ vitæ periodo coërceri præſtabilius, & τῆς φύσεως αὐτουργίῃ magis conſentaneum. Verùm enimuero Phyſicarum mutationum πρῶτον δεκτικὸν, ſublunaris iſthæc materia, quia domeſticum alit hoſtem, fouétque ſinu δύναμιν ἀντιφάσεως, indiuidui perennitate gloriari nequit. Mille moriendi vias fata inuenêre. Sola ſpecies irrequietâ ſingulorum viciſſitudine perpetuò viget procreatricis adminiculo, quâ quid excellentius diuiniúſque factum ſit, non video, cùm ſola nos reddat immortales.

NECESSARIAM ſexuum diuerſitatem ſagax & ingenioſus amor ille perennitatis inuexit; marem, vt in alio, fœminam, vt in ſe generaret, vtrumque ποιητικὴν καὶ παθητικὴν ἀρχήν. Fœminam enim, licet viro frigidiorem & βραχυχρονιωτέραν, agentis παρέκβασιν, καὶ ἄρρεν πεπηρωμένον appellare, mera calumnia eſt. Natura quippe, vt maris, ita & fœminæ deſiderio ſuccenſa, quia vtrôque ſimile procreat, neutrum repudiat. Neque vero ſeminis πνεύματος ἐργαζομένου beneficio fœmina ſpoliatur. Habet enim verè prolificum, quale ἐν τῇ συνουσίᾳ (ſine quâ nec conceptio, nec generatio eſt) ἡδονὴν τε καὶ θέρμην toto corpore perſentiens emittit. Sed nec voluptatis iſtius temnenda neceſſitas, quam homini perinde ac belluis natura inſeuit, ne plenum conſilij & rationis animal turpem adeò fœdámque συζυγίαν cane peiùs & angue odiſſet.

SEMEN, quia præſtantiſſimum, vbique non fit, vbique non habet φυλακήν. Id muneris vaſa ſpermatica, & teſtes in vtrôque ſexu conſpicui (quibus cùm careant dæmones, generare nequeunt) ſuo ſibi iure vendicant. Teſtes (inquam) caloris focus alter, partes principes, & corde ipſo nobiliores: quibus ablatis totius ſubſtantiæ & habitus, ingenij & morum mutatio contingit. His primariè inſidens δύναμις σπερματοποιητική, reliquis per ἐπιρροήν, fœcunditatis σφραγῖδα ſeminali materiæ imprimit. Vtriuſque ſeminis commune receptaculum vterus μονόκολπος, νευρώδης, odoribus gaudens, variis motibus cieri ſolitus, partes ferè omnes in mali conſortium trahere potens, vberrimum fœturæ ſeminarium, hortus feraciſſimus, in quo formationis opus admirabile natura perficit. In eum veluti campum incruentúmque Martis arenam parentum ſemina viribus æquis aliquandiu pugnatura deſcendunt, pacis vinculo ad extremum ſocianda.

GEMINI ſatus σύλληψιν multa impediunt. Quippe vbi humidior locus, vt in terris vliginoſis fieri amat, ſemen ἀποσήπεται καὶ ἀποπνίγεται τῇ πλεονεξίᾳ. Quæ ſicciore ſunt vtero, quibus τὸ στόμα οὐκ ὀρθὸν ἐστι τῆς μήτρας, quibus præpingue abdomen, ijs nulla conceptio eſt. Quid, ſi debiliori maris genituræ copioſior ſanguis accedat? aut nihil, aut κύημα μὴ ἰθαγενές, mola ſcilicet, quam ſine viro generari Medicus non dixerit. Minutuli quoque & perenni fluxione laborantes non procreant: & plerúmque propter latentem cauſam, mater virili ſatu non gaudet, quòd minime ſit εὐπερίσφιγκτος. Tantam rerum omnium moderationem corporis humani fabrica poſtulabat.

VTRVMQVE ſemen corporis excrementum, ſtatim atque effuſum eſt, miſcet ὁμόρροον, continet vterus. Concepti facultatem ab agente primario mutuatam loci calore ac temperie adiutus ſpiritus genitor depromit, latentéſque ac ſopitas conformandi animandíque fœtus vires fundit in apertum, quódque mortuum penè ac ſepultum videbatur, non tam corrumpendo, quàm perficiendo emergit. Sic partium omnium accurata τύπωσις, viuénſque ipſum tandem aliquando erumpit, cùm prius in ſemine, velut in glande quercus, & pullus in ouo, latuiſſet.

Viuit ergo ſemen potentiâ tantum.

Aſſerebat Lutetiæ MICHAEL DE LA VIGNE *Vernonæus, anno Domini* 1613.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Gaſpardus Brayer.	*M. Ioannes Pietre.*	*M. Robertus le Secq.*
M. Nicolaus Haynault.	*M. Ioannes Couſin.*	*M. Simon le Tellier, M. R.*
M. Philbertus Guibert.	*M. Hieronymus Goulu, P. R.*	*M. Richardus Marcets.*

